Fragmentarium

S P VI. 1 1251.

Viris religiosis ac patribus in xpo karissimis. vniuersis diuina prudentia. Abbatibus. Prioribus.
Et eorum sacris conuentibus. Ceterisque Ecclesiarum prelatis ac eorum subditis ad quos littere iste peruenerint.
.J. eiusdem permissione Abbas sancti Petri Gandensis humilisque Conuentus eiusdem loci salutem in eo sine
quo non est salus. Sicut antiquorum patrum tam ueteris quam noui testamenti exempla sancta nos
docent. luce clarius esse monstratur. Quod in omnibus tribulationibus seu necessitatibus ad orationes
oportet xpianum sepius recurrere et sanctorum suffragia per deuotas religiosorum intercessiones stu
diosius implorare. Multiplex enim deuote orationis inuenitur effectus. Caput enim orans ihesus xpistus
oratione celum aperuit. et uocem patris audiuit dicentis. Hic est filius meus dilectus in quo michi com
placui. Et spiritus sanctus in columbe specie in Jordanis lauachro super eum uenit. Oratio Petri
promeruit ut uideret discum in cenaculo et uas lintheum descendens de celo. in quo erant qua
drupedia et bestie terre. Elyas orauit ut non plueret super terram. et non pluit annis tribus et mensibus
Sex. Et rursum orauit et celum dedit pluuiam et terra dedit fructum suum. Humilis oratio
Dauid a peccatorum uinclis absoluit. Oratio spacio uite Ezechie quindecim annos adiecit.
Oratio danielem in lacu leonum. et Tres pueros in camino ignis illesos seruauit. Susan
nam de falso crimine liberauit. Dominus enim ihesus xpistus ad orationis instantiam nos inuitans
per euuangelium dicit. Quodcumque petieritis in nomine meo fiet uobis cuius nomen est ihesus. Ihesus autem
saluator interpretatur. et quod in nomine ipsius petitur. salutem petere necesse est. Non solum corporalem. sed
spiritualem. Non tantum temporalem. sed etiam eternam. Que enim temporalia sunt. transitoria sunt et uana.
Et que uidentur temporalia sunt que autem non uidentur eterna. Harum igitur rationum auctoritatum inducti
ad deuotas orationes uestras confugimus. quanta possumus [illegible] karitatiua [illegible] sinceritate uestram
exorantes [illegible]
balduino [illegible] nuper defunctis. Orationum uestrarum [illegible] subsidia impendere uelitis. Et elemosi
narum etiam uestrarum largitione eisdem subuenire dignemini. Exemplo Machabei qui
decem milia dragmas argenti misit Iherosolimam offerri ea ibi pro peccatis mor
tuorum religiose cogitans de resurrectione. Preterea uestram rogamus humiliter deuotionem
et deuota humilitate beniuolentiam. Quatinus gerardum latorem presentium cum ad uos uenerit
benigne suscipiatis et karitatiua humanitate circum ad uictualia corporis exhibere
dignemini. Et diem quo apud uos uenerit in rotulo suo annotari faciatis. Obiit
autem dictus Iuan. Nono kalendas Junii. Symon uero [illegible] kalendas eiusdem mensis.
Anno domini. M. cc. Quinquagesimo Primo.

License: public_domain – Gent, Rijksarchief te Gent, Archief Sint-Pietersabdij, charter nr. 635bis, fol. [1]r – Mortuary roll for monks of St Peter's Abbey, Ghent (https://fragmentarium.ms/view/page/F-8z5l/5542/52230)